Nicolaus miseratione divina tituli Sancte Marie Transtiberim Sancte Romane Ecclesie Presbiter Cardinalis [illegible]
Discreto viro Confessori Magistro in theologia vel decretorum doctori ex approbatis ab Ordinario per Latores presentium ad infrascripta
specialiter eligendo salutem in Domino. Ex parte viri et mulieris Latorum presentium Nobis oblata petitio continebat quod ipsi alias volentes insimul matrimonialiter
copulari dispensationem super impedimento quarti consanguinitatis gradus quo invicem sunt coniuncti a sede apostolica obtinuerunt
tacita carnali copula quam prius habuerant. Cum autem prout eadem petitio subiungebat dicta carnalis cognitio sit occulta
publicum vero Latores tractasse de matrimonio contrahendo ita ut nisi ad effectum suum perducatur scandala sint inde exoritura ac
ea vitam ac proprie conscientie quietem cupiunt Latores a premissis de quibus plurimum dolent per sedem apostolicam absolvi ac secum
desuper dispensari. Quare supplicaverunt humiliter sibi super his de opportuno remedio providere dignaremur. Nos igitur
qui Romani Pontificis curam gerimus huiusmodi supplicationibus inclinati auctoritate apostolica specialiter Nobis concessa tue discretioni com-
mittimus quatenus si est ita dictos Latores audita prius eorum sacramentali confessione ab incestu et excessibus huiusmodi absolvas hac vice in
forma Ecclesie consueta iniuncta eis pro modo culpe penitentia salutari quodque faciant elemosynam tuo arbitrio distribuendam [illegible]
in pauperum alimenta et aliis que de iure fuerint iniungenda. Demum dummodo impedimentum ex incestuosa cognitione
proveniens sit occultum et nisi matrimonium huiusmodi contrahatur periculum immineat scandalorum aliudque canonicum
non obstet cum eisdem Latoribus postquam secum super impedimento dicti gradus alias rite et iuxta formam litterarum dicte dispen-
sationis verificatis in ea narratis dispensatum fuerit quod premissis non obstantibus matrimonium inter se publice servata forma
Concilii Tridentini et aliis de iure servandis contrahere et in eo postmodum remanere licite valeant misericorditer dispenses prolem suscipiendam
exinde legitimam nunciando. Ipsorum conscientie et in ipso actu sacramentalis confessionis tantum et non alias nec ullo alio modo. Ita quod huiusmodi
absolutio et dispensatio in foro iudiciario Latoribus nullatenus suffragentur. Nullis super his testibus adhibitis aut litteris da-
tis seu processibus confectis, sed presentes laceratis, quas sub pena excommunicationis late sententie lacerare tenearis, ita ut nullum illarum
exemplum extet neque eas Latoribus restituas, quod si restitueris nihil eis presentes littere suffragentur. Datum Rome apud
Sanctum Petrum sub Sigillo Officii Penitentiarie Quarto Kalendas Aprilis Pontificatus Domini Clementis Pape Octavi Anno Secundo.
P. continebat P. coniuncta

Archiep. Damascen.

Gratis ubique P. Fagnanus sig.

Perg. 118

Discreto viro Confessori Magistro in theologia vel decretorum docto
ri ex approbatis ab ordinario per latores presentium ad in[illegible]
[illegible] eligen[illegible]

Gratis ubique pro Fagnanus Vig.

P. S. Vincentius

J. P. Peccinatus

Gratis ubique Fagnanus Vig.